



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Chronologia Christiana

**Herbipoli, 1694**

Sæculum Primum. Ab Anno 1. ad 100.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65495)



SÆCULUM  
PRIMUM.

AB ANNO I. ad 100.

**A**nnus Mundi 4022. (jux-  
ta verisimiliorem Chro-  
nologiam Pererij in Da-  
nielem) supernis menti-  
bus & infernis æq; quàm  
mortalibus expectatissimus effulsit,  
quo natus est per quem condita sunt  
fœcula *Dei ab aeterno, & Virginis in  
tempore Filius IESUS Christus*, qui ortu  
finem imposuit figuris veteris Testa-  
menti, & Christianæ chronologiæ  
Primas Kalendas *sanguinis* sui Rubri-  
câ sacravit; pro Salute nostra crucis  
mortem sustinens anno ætatis suæ 33.  
mense tertio *Pontifex Magnus introi-  
vit in Sancta, aternâ redemptione inven-  
tâ.* Heb: 9. v. 11.

A 5

S. I.

*S. I. Huius Sacerdotis magni Vicarij Pontifices fuerunt.*

- I. **S** PETRUS ex Bethsaida Galileæ primus Christi Domini in terris Vicarius, postquã annis 5. Jerosolymis & Antiochiæ 7. prima gubernacula Ecclesiæ tenuisset, Romæ Sedem constituit Anno Christi 45. Claudij Imper. 3. & sedit ibidem An. 24. Mens. 5. dieb. 12. (quos años nullus adhuc Successorum in Pontificatu obtinuit) obiit in cruce, pedibus fursũ affixus in ea parte montis Vaticani, qui hodiè mons aureus appellatur, An. Christ. 69. d. Jun. 29.
- II. **S. LINUS** ex Tuscia Pontific: Roman. suscepit A. 69. rexit Eccles: an. 11. jussu Saturnini Consulis, cujus filiam à dæmone inquilino liberavit, capite plexus an. 80. d. 23. Sept.
- III. **S. CLETUS** seu **CLYTUS** Romanus ab aliis etiam (sed per errorem) **ANACLETUS** dictus cepit an. 80. sedit An. 12. 7. Mens. d. 2. à Domitiano

AB ANNO I. AD 100.

tiano, cui divinos honores exhibere recusavit, martyrio affectus An. 93. die 26. Apr. Primus fuit qui Epistolas ad fideles missas ita exorsus est. SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

IV. S. CLEMENS. I. hujus nominis Romanus, Martyr, cæpit an. 93. Romanæ urbis regiones 7. Notariis distribuit, qui Studiosè Martyrum gesta annotarent, sedit an. 9. Anchorâ ad collum suspensâ in Chersoneso jussu *Trajani* præceps in mare actus: sub cujus Pontificatu omnium Apostolorum ultimò in vivis superstes S. JOANNES Evangelista Ephesi vitam finijt an. Christi 101. post Christi Ascensionem 68.

Si Chronologiæ aliorum Auctorum subindè differunt vel circa initia vel fines Sedis Pontificum, & durationem, id accidit quòd unus completos, & alter inchoatos dies, aut etiam Menses, vel annos numeraverit, præsertim post Fabianum Papam, quando interdum longius Sedes Apostolica vacavit.

§. 2. *Imperatores Romani.*

I. OCTAVIANUS AUGUSTUS  
filius adoptivus Julij Cæsaris, obiit  
A 6 an.

an. Imperij sui 57. A.C. 16. ætat. 76. ip-  
 so Jesu Christi nati die vetuit, ne ipse à  
 quopiam deinceps *Dominus* nomi-  
 naretur. SYMBOLUM ejus fuit: *Festina  
 lente*, & illud effatum gloriosum:  
*Romam Lateraniam accepi, marmoream  
 relinquo.*

II. CLAUDIUS TIBERIUS NE-  
 RO ob ebrietatem *Biberius Mero* di-  
 ctus, obiit A.C. 39. Imp. 23. ætat. 78.  
 SYMB: *Melius condere, quam deglubere.*  
 Domini nomen & Statuæ suæ erectio-  
 nem renuit, & Christianos vetuit ac-  
 cusari.

III. CAJUS CALIGULA, 30. vul-  
 neribus à suis stipatoribus confossus  
 A.C. 43. Imp. 4. ætat. 29. SYMB: *Ode-  
 rint, dum metuant.* Altera ipsius vox  
 Carnifice, quàm Imperatore dignior.  
*Optare se unam duntaxat cervicem ha-  
 bere populum Romanum; scilicet ad ju-  
 gulandum: cui populus insultans re-  
 spondit: tu unam cervicem habes, nos  
 verò manus multas.*

IV. TIBERIUS CLAUDIUS  
 DRUSUS, Princeps de quo ambiguo

um est an crudelior, an stultior fuerit. nullius fuit memoriæ: nam occisâ uxore suâ paulò post in Cæna quæfivit cur uxor non recumberet ad mensam? Veneno sublatus ab Agrippina Coniuge A. C. 56. ætat. 64. SYMB: *Generis virtus Nobilitas.*

V. DOMITIUS NERO, SS. PETRI & PAULI, Senecæ Præceptoris, Matris Agrippinæ, Amitæ, Coniugis Octaviæ, sui demum ipsius interfecto in fugâ, cum ab hostibus persequentibus premeretur, A. C. 70. Imp. 13. ætat. 32. Dum se interficeret, fertur in hæc verba erupisse: *O quantus Artifex perco!* intelligens artem Citharisticam, quam ipse noverat; unde etiam monitus ab Astrologis, fore, ut aliquando imperio exueretur, exinde pro Symbolo suo usurpâsse hoc fertur, *Artem quevis terra alit.*

VI. SERGIUS SULPITIUS GALBA Imper. à militibus proclamatus A. C. 71. & post 7. Mens. occisus. A. ætat. 73. SYMB: *Miles legendus, non emendus.*

VII.

VII. SYLVIUS OTTO post 3. Mens. regiminis sui se ipsum peremit A. C. 71. ætat. 37. SYMB. *Vnus pro multis.*

VIII. AULIUS VITELLIUS post 8. Menses regiminis, gulâ, & luxuriâ transactos, ab hoste captus, injecto cervicibus laqueo, seminudus in forum tractus, & tandem apud Hemonios minutissimis ictibus excarnificatus, & inde unco tractus in Tiberim A. C. 71. ætat. 57. SYMB: *Bonus odor hostis, melior civis occisi.*

IX. FLAVIUS VESPASIANUS Dux strenuus & immemor injuriarum, ventris profluvio moritur, dicens *Imperatorem stantem mori oportere* A. C. 81 ætat. 68. Princeps prudens, & justus, nisi vectigal ex lotio commentus esset. Curtius enim ait. *Princeps se Regem esse, non mercatorem meminert.*

X. TITUS VESPASIANUS dictus *Delicium humani generis*, sub quo (administrante bellum Tito filio) Jerololyma devastata est. A. C. 83. ætat. 41. à fratre Domitiano veneno sublatus

latus esse putatur; SYMB: *Princeps Orbis amor bonus.* & aliud: *Non oportet quenquam à conspectu Principis tristem descendere.*

XI. FLAVIUS DOMITIANUS Titum fratrem suum, adhuc spirantem feretro inclusit: osor Christianorum edictis suis præscribi mandabat: *Dominus & Deus noster sic fieri iubet.* Interfectus est peringuina confosus A. C. 98. Imp. 15. ætat. 45. SYMB: *Fallax bonum Regnum.*

XII. NERVA COCCEIUS fautor Christianorum in senectute Imperator electus, debilitate stomachi moritur A. C. 100. ætat. 66. Imp. 2. SYMB: *Mens bona regnum possidet.*

### S. 3. Concilia 1. Seculi.

I. Ierosolymis in domo S. Ioannis cognomento *Marci* An. Chr. 34. in causa electionis *Matthie Apostoli.*

II. Ibidem eodem anno pro electione 7. Diaconorum *Stephani, Philippi, Prochori, Nicanoris, Timonis, Parmena & Nicolai* Act. 6.

III.

III. Ibidem An. 51. adversus *Cerinthum* de circumcissione ac legalibus Act. 15.

IV. Ibidem An. 58. Essentne permittendæ ad tempus Legales Cærimonix Act. 21.

#### S. 4. *Schismata.*

I. Schisma à Græcis adversus Hebræos, cui tollendo creati sunt septem Diaconi, quorum apex *Stephanus*.

#### S. 5. *Propagationes Fidei.*

**P**ER Apostolorum dispersionem quâ docuere fidem PETRUS Romam, JOANNES Asiam Minorem, ANDREAS Scythiam, PHILIPPUS Asiam Superiorem, THOMAS Parthos & Indos, BARTHOLOMÆUS Armeniam majorem, Albaniam, & Indiam Citeriorem, MATTHÆUS & MATHIAS Æthiopiam, SIMON Mesopotamiam & Persidem, JUDAS THADÆUS Arabiam & Idumæam S. PAULUS Gentiles varios, JOSEPH ab Arimathia Britannos.

*Eodem*

AB ANNO 1. AD 100.

*Eodem Saeculo 72. Discipuli Domini  
& alij ab Apostolis in Episcopos ordi-  
nati fidem in diversas Orbis  
partes intulerunt.*

CATALOGUS DISCIPULORUM.

1. S. Agabus de quo Act. 13. & 21. 2. S. Anno de  
quo S. Ambr. in cap. 24. Luce. 3. S. Alexander Fili-  
us Simonis Cyrenæ de quo Mar. 15. qui fuit 1. A-  
venion Episc. 4. S. Ampliatus Episc. Odissæ. 5. S.  
Ananias qui S. Paulum baptizavit Act. 9. 6. S. An-  
dronicus de quo ad Rom. 16. fuit, Episc. Pannoniæ.  
7. S. Antipas de quo 2. Apoc. 8. S. Apelles de quo  
ad Rom. 16. fuit; Episc. Smyrnenf. 9. S. Aristar-  
chus de quo Act. 27. fuit Episc. Apameæ & deinde  
Thessal; 10. S. Aristron secundus Episc. Salaminæ.  
11. S. Archippus de quo ad Coloss. 4. 12. S. Aristob-  
ulus Episc. Bit. de quo ad Rom. 16. 13. S. Artimas  
de quo S. Paulus ad Tit. 3. 14. S. Asyrioritus Episc.  
Hyrcan. 15. S. Barnabas qui & Joseph Levites Cy-  
prius dicitur Act. 4. 16. S. Barsimæus, quem aliqui  
putant fuisse cæcum illum à Christo prope Jericho  
illuminatum. 17. S. Cæsar Dyrrhachij Episc. ex Me-  
nolog. Græco 15. Maij. 18. S. Cephas, Diversus à  
Petro Episc. Caniæ. 19. S. Carpus Episc. Beroci in  
Macedonia de quo 2. ad Timoth. 4. 20. S. Clemens  
Episc. Sardicæ diversus à S. Clemente Papa. 21. S.  
Cleophas de quo Luca 24. 22. S. Crescens de quo  
2. ad Timoth. 2. 1. Episc. fuit Vien. in Gall. 23. S.  
Epaphras Episc. Coloss. de quo ad Coloss. 10. 24.  
S. Epaphroditus Episc. Philippens. de quo ad Philipp.  
2. 25. S. Evodius Successor S. Petri in sede Antioch.  
26. S. Georgius I. Velannorum Episc. à S. Petr. Apo-  
stol. in Gall missus. 27. S. Heraustus de quo Act. 19.  
& 2. ad Timoth. 4. fuit Episc. Paneadis mox Philip-  
pens. 28. S. Herodion Episc. Patrarum & deinde Tar-  
si in Cilicia. 29. S. Hermes de quo ad Rom. 16. fuit  
Episc.

Episc. in Dalm. 30. S. Hermes alter Episc. Philippop. in Thracia. 31. S. Jason de quo ad Act. 17. 32. S. Jesus justus qui cum Paulo salutatur Coloss. c. 4. 33. S. Ignatius Episc. Antioch. post Evodium. 34. S. Joannes Senior Episc. Ephesior: à S. Joan. Evang. constitutus ut habet S. Hieron. in Catal. script: Eccl. 35. S. Joannes Marcus de quo Act. 14 & 15. 36. S. Joseph Justus S. Mathiæ soc. de quo Act. 1. Episc. Heleut. deinde Hierosol. 37. S. Joseph ab Arimathia de quo Matth. 27. 38. S. Judas Cognomento Barfabas de quo Act. 16. 39. S. Junias Episc. Apameæ de quo ad Rom. 16. 40. S. Lazarus frater S. Mariæ Magd. 1. Episc. Massiliæ. 41. S. Lucius 1. Episc. Laodic. & deinde Olympiadis. 42. S. Lucius alter Episc. Cyren. de quo Act. 13. 43. S. Manachen de quo Act. 13. 44. S. Marcus Evang. 45. S. Marcus Consobrin S. Barnabæ de quo Act. 12. fuit Episcopus Apollon. 46. S. Martialis nempè puer ille qui Joan. 6. dicitur habuisse 5. panes hordeaceos & duos pisces fuit Episc. Lemov. 47. S. Matth. prius ex 72. Discip. dein Apost. Act. 1. 48. S. Maximinus 1. Episc. Aquis-sensijs. 49. S. Mnason Cyprinus 1. Episc. Tarfi de quo Act. 24. 50. S. Narcissus 1. Episc. in Achaia ordinatus à S. Andrea Apost. 51. S. Nathanaël de quo Joan. 1. Episc. Bituric. 52. S. Patrobus de quo ad Rom. 16. 1. Episc. Neap. & Puteol. 53. S. Philologus 1. Episc. synopensi in Paphlag. 54. S. Phlegon Episc. Marath. in Afr. 55. S. Priscus Episc. Coloph. & Capuæ. 56. S. Quartus de quo ad Rom. 16. fuit 1. Episc. Beriti. 57. S. Rufus frater Alexand. de quo Marc. 15. 58. S. Rufus alter de quo ad Rom. 16. Creditur fuisse Episc. Theb. 59. S. Silas de quo Act. 16. & 17. fuit 2. dus Episc. Corinth. 60. S. Simeon filius Cleophæ, tertius Episc. Hierosol. 61. S. Simon Niger de quo Act. 13. Episc. Bostrensi in Arab. 62. S. Simon Leprosus. 63. S. Sosipater de quo Act. 10. & ad Rom. 16. fuit; Episc. Iconij. 64. S. Stachis Bizant Episc. à S. Andrea Ap. ordinatus. 65. S. Sidonius nempè cæcus ille quem  
illumi-

illuminavit Christus Dom. Episc. Aquis sextijs post  
S. Maximinum, 66. S. Sylvanus de quo 2. ad Thes-  
salon. 1. Episc. Thessal: 67. S. Tertius de quo ad  
Rom. 16. Episc. Iconij. 68. S. Thadæus diversus  
ab Apóst. 69. S. Urbanus 1. Episc. Maced. 70.  
S. Zachæus de quo Luc. 19. Episc. Cæsareæ in Pa-  
læst. 71. S. Zenas de quo ad Tit. 3. 1. Episc. Diospol.  
in Palæst. 72. Decet Unus. Hæc ex Chronol:  
Patris Joan: Riccioli qui hunc Catalogum  
confecit ex S. Hypolyti M. & Dorothei Sy-  
nopsi, Papiæ. Eusebio, alijsq; scriptoribus.

### §. 6. Persecutiones Fidei.

Circa añum 66. Nero Romã incen-  
dit ardentis Trojæ faciem in ejus  
conflagratione spectare volens. Ob  
eos ignes cum se populi convitiis ap-  
peti videret, scelus suum Christianis  
impingere conatur, & ex iis sub præ-  
textu plures enecat; atque hinc origi-  
nem suam sumpsit prima persecutio,  
quã durante prope infiniti neci & tor-  
mentis addicti sunt. Secunda fuit *Do-  
mitiani* an. 93. Insignes in ea Martyres  
*Acilius Clabrio*, Exconsul an. 94. &  
*Flavius Clemens*, *Domitiani* Patruelis 98

### § 7. Sanctitate Clari.

S. Maria Deipara, S. Ioseph, S. Ioannes  
S. Bapt. SS Apostoli & Discipuli Domi-  
ni,

ni, *S. Maria Magdalena S. Martha,*  
*S. Petronilla, S. Thecla, Longinus Miles,*  
*Cysmas Latro, Pancratius M. Polycar-*  
*pus Episc. Flavia Domitilla V. M.*

### §. 8. *Hæretici.*

**S**imon Magus. Thesbutes. Hymenzus. Philætus.  
 Diotrephes. Cerinthus Cicobius. Masbatheus.  
 Ebion. Menander. Dositheus. Nicolaitæ.

### §. 9. *Initia Regn. & Princ.*

**A**rmenia & Pañonia à *Tiberio*, ad-  
 junctæ Rom. Imp: \* *Agrippa*, Rex  
 Judæorum à *Cajo*, creatus. \* *Britannia*  
 à *Claudio*, adjecta Imperio \* *Alpes*  
 Cortiæ à *Nerone*, \* In *Agrippa* filio  
 deficit novellum Regnum Judæorum.

### §. 10. *Instit. Sacr. Rituum.*

**I**nstitutio Diei Dominicæ, Festorum Nati-  
 vitatis Christi, Resurrectionis, Ascensio-  
 nis, Pentecostes, Jejunium 4. Temporū, Jeju-  
 nium Quadragesimale. \* *Corona Pontificia.* \*  
 Usus Aquæ Benedictæ & signi Crucis. \* *Lam-*  
*pades & sacra luminaria in Eccl.* \* *Tonsura*  
*Clerical.* \* *Nomen Christian.* prim. impositū  
*Antioch.* \* *Primam in orbe S. Jacobus major*  
 sub

sub honore Dei - Parentis condit Ecclesi-  
 am Cæsar Augustæ in Hispaniis. \* Purifica-  
 tionis Deiparæ Festum ipsis Apostolicis  
 temporibus celebratum. \* Hoc eodem pri-  
 mo Sæculo alia quoquè templa in hono-  
 rem B. V. erecta. \* Nam (& in monte Car-  
 melo Templum Sacrosanctæ Deiparæ no-  
 mine, ab Eliæ vatis asseclis fuit dicatum)  
 & in Syria à S. Petro Deiparæ Sacellum in  
 urbe Antaredo extructum, \* & in Æthiopia  
 à Candace ejus gentis Regina & in Insula  
 Avilonia per Josephum ab Arimathæa, &  
 Massiliæ per S. Martham : Nazarena Vir-  
 ginis Domus in Templum ab Apostolis  
 commutatur. \* Primus Deiparæ Virginei  
 vultûs, atq; ipsius Christi effigiẽ Delinea-  
 vit atque ad vivum depinxit S. Lucas, un-  
 de aliæ mox Icones transumptæ, & in fi-  
 deles undique distributæ sunt. \* Hispaniis  
 ipse S. Petrus Sacras imagines infert. \* Usus  
 Reliquiarum B. V. vestium scilicet & rerum  
 ad illam spectantium in summa veneratio-  
 ne apud Christianos fit. \* Invocatio Nomi-  
 nis JESU & MARIÆ inter Christianos subi-  
 taneis præsertim periculis. \* Missæ Sacrifi-  
 cium ab ipso Christo institutum, ab Apосто-  
 lis sub nomine Lyturgiarum celebratum. \*  
 Orationes & Sacrificia pro defunctis. \* Usus  
 frequens Eucharistiæ etiam sub una specie,  
 &c.

§. 11. *Initia Religios. Ordin.*

**E** *Seni sive Iessei* Alexandriae Religio-  
si, de quibus *Solinus* C. 28. & 36.  
*Ioseph* lib. 18. C. 2. *Communia habe-*  
*bant bona, voluptatum & Matri-*  
*monij contemptores &c.* Eorundem *S.*  
*Dionysius* monasticæ professionis me-  
minit. C. 6. *Hier. Eccl.*

§. 12. *Nova Reperta & Na-*  
*tales Urbium.*

**P**antomimi à *Pylade & Batyllo*, pri-  
mū inducti. \* *Universale Orbis ter-*  
*rarum diagramma* primū ab *Agrip-*  
*pa* datum. \* *Bibliotheca publica* ab  
*Asinio Pollione* Romæ primum structa \*  
*Theriaca* ab *Andromacho Cretenfi* in-  
venta. \* *Vitri flexibilis temperamen-*  
*tum inventum* sub *Tiberio*, qui illud  
iterum abolevit \* *Lugdunum condi-*  
*tur.* \* *Florentia.* \* *Colonia Agrippina* per  
*Neronis Matrem Agrippinam.*

§. 13. *Scriptores Sacri.*

**D** *D. Petrus, Paulus, Iacobus, Iudas*  
*& Evangelista, D. Dionysius.*  
*Arco.*

*Areopagita. D. Ignatius. D. Polycarpus. Hermes. Philo Iudæus.* Littera P. adjuncta Romanum Pontificem notat. D. Divum. E. Episcopum. C. Cardinalem. S. Suspectum.

**§. 14. Disciplinarum Naturalium Periti.**

**L**ittera J. Juristam. *Med.* Medicum. *Phil* Philosophū. *P.* Poëtā. *Math.* Mathematicum. *R.* Rhetorem. *H.* Historicum designat: *Ph.* Philologum.

*Ju:* Artejus Capito. Labeo Antistius. Coccejus Nerva Pater ac filius. Masurius Sabinus. Cajus. Cassius. Longinus. Coelius Sabinus. Sextus Pædius, Pegafus. *Med:* Crinas & Carnus. Thessalus Methodicus, Pedacius Dioscorides, Andromachus Cretenfis. Cornelius Celsus. *Philos.* Athenodorus Stoicus. Nicolaus Damascenus. Sotion Senecæ Præceptor. Xystus Pythagoræus. Alexander Ægæus. Cheræmon Stoicus. Seneca Serapion. Apollonius Thyanæus. *Math.* Julius Higinus. *R.* Domitius Afer. Alconius Pedianus. Quintianus *Philos.* Columella. Plutarchus. *H.* Strabo. Valerius Maximus. Titus Livius. Pomponius Mela. Plinius. Dionysius Halicarnassæus. Velleius Patereulus. *P.* Publius Ovidius.

Ovidius. Fenestella. Persius. Silius Italicus.  
Lucanus. Seneca. Juvenalis. Valerius. Flavius,  
Martialis, Statius.

§. 15. *Strategi & Prælia.*

**R**omanæ Legionēs cū *Vario Quin-*  
*tinio* ab *Armenio* fusæ. Gallorum  
& Germanorum plurima millia à  
*Virginio* cæsa. *Vologeses* Romanas Le-  
giones sub jugum mittit.

§. 16. *Universitates & Scho-*  
*le Publicæ* - - - Nullæ.

§. 17. *Res Memorabiles*  
*& Eventus Tragicæ &c.*

**N**Ascende Christo pax in toto orbe;  
ideoq; Jani templum clauditur ab  
*Augusto* \* sed iterum aperitur, Ger-  
mania a Romanis deficiente. \* fames  
ingens Romæ A. Ch. 8. \* Terræ motu  
urbes tredecim in Asia pessundatæ A.  
Chr. 20. \* Fidenis Amphitheatri ruina  
50000. hominum partim extinxit,  
partim mutilavit A. C. 28. \* Prædi-  
cante Jesu eventus permulti admira-  
biles. \* Apostolis Evangelium Prædi-  
canti-

cantibus idola obmutescunt. \* Soles tres simul apparent, statimq; in unum orbem coeunt A. C. 51. \* Phœnix ex Ægypto Romam allatus & populo propositus magnitudine par Aquilæ, collo instar auri, reliquo corpore purpureo, vertice cristato, caudâ cæruleâ. *Cornel. Tacitus Lib 6. Annal.*

§. 18. *Signa & event. Trag.*

**H**erculanum & Pompeij Urbes duæ pumicibus obrutæ. \* Mons Vesuvius in Campania exardescens totas Urbes & Regiones exurit. Eodem Incendio obrutus est *Plinius Senior*, qui ne quid nesciret, scrutans incendium, flammis raptus est. A. C. 79. \* Secuta est hoc incendium gravissima lues. \* Libri Sybillarum in Senatu Romæ approbantur magno Christianorum commodo. \* *Pilatus* sibi fit carnifex, cum exilio damnatus Viennamq; Allobrogum amandatus esset. \* Capta *Ierosolyma*, A. C. 72. ubi undecies centena millia mortalium fame & gladio periére, centum millia publicè venundata.

B

SÆ-

*S. I. Hujus Sacerdotis magni Vicarij Pontifices fuerunt.*

- I. **S** PETRUS ex Bethsaida Galileæ primus Christi Domini in terris Vicarius, postquã annis 5. Jerosolymis & Antiochiæ 7. prima gubernacula Ecclesiæ tenuisset, Romæ Sedem constituit Anno Christi 45. Claudij Imper. 3. & sedit ibidem An. 24. Mens. 5. dieb. 12. (quos años nullus adhuc Successorum in Pontificatu obtinuit) obiit in cruce, pedibus fursũ affixus in ea parte montis Vaticani, qui hodiè mons aureus appellatur, An. Christ. 69. d. Jun. 29.
- II. **S. LINUS** ex Tuscia Pontific: Roman. suscepit A. 69. rexit Eccles: an. 11. jussu Saturnini Consulis, cujus filiam à dæmone inquilino liberavit, capite plexus an. 80. d. 23. Sept.
- III. **S. CLETUS** seu **CLYTUS** Romanus ab aliis etiam (sed per errorem) **ANACLETUS** dictus cepit an. 80. sedit An. 12. 7. Mens. d. 2. à Domitiano